

## LATINE: PHAETHON SOLIS FILIUS

M<sup>a</sup> TERESA BELTRÁN, M<sup>a</sup> TERESA CASES, MERCEDES GARCÍA

(Grupo Galatea)

grupogalatea@gmail.com

Phaethon Solis filius erat, attamen nemo id cognoscebat, nam familiare secretum erat. Iuvenis ante amicos suos iactare volebat et a patre currum petivit. Phoebus nolebat, nam intellegebat ut id periculosissimum devenire posset; praeterea in curru tantum unus subire poterat et Sol timebat ut filius equos bene duceret. Phaeton denique per unum diem currum ducere consecutus est, sed Phoebus ei dixit:

"Prima via ardua est et equi vix ascendunt; media via caelo altissima est, unde mare et terras videre terret; ultima via prona est et moderamine certo eget. Per insidias et ferarum formas iter est et, ut viam teneas ac nullo errore traharis, tamen per Tauri cornua, per Leonis ora et per saeva Scorpionis bracchia gradieris"

Sol monitus finiverat, sed Phaethon eum non audiverat. Celeriter ille levem currum occupat et manibus leves habenas contingere gaudet.

Interea Solis equi hinnitibus  
flammiferis auras implent et viam



Imagen: Nuria Munárriz

corripiunt, sed pondus leve est nec Solis equi id cognoscere possunt quod iugum solita gravitate carebat ita ut currus in aere saltum daret et inanis currus videretur. Cum equi id animadvertiscant, currunt et tutam viam relinquunt. Phaeton pavet nec scit qua habendas flectat.

Ut vero infelix Phaeton ab summo aethere terras despexit, palluit quod in vario caelo miracula et simulacra ferarum et locum, ubi Scorpius membra porrigit, vidit. Phaeton, curvata cuspide minitante, lora remisit. Quae postquam summum tergum tetigerunt, equi exspantiantur et, nullo inhibente, per auras ignotae regionis eunt. Altissimae regiones flammis corripiuntur; tellus, sucis ademptis, aret. Tunc Aethiopum populos nigrum colorem traxisse credunt.

Sed tum Iuppiter in aurigam fulmen misit pariterque anima et rotis expulit et saevis ignibus ignes conpescuit.

Phaeton in flumine Eridano volvitur. Phaetontis sorores morti lacrimas dant et sepulcro adsternuntur

Luna quater orbem impletat et illae more suo plangorem dederant; subito Heliades formam mutant et arbores reddunt. Cygnus, Phaetontis amicissimus, huic monstro adfuit; ille querellis amnem Eridanum quoque impletat, cum vox viro tenuata est et canae plumae capillos dissimulant; Cygnus nova avis fit neque caelo se tradit sed stagna petit.

Phoebus dolens equos verbere saevit natumque illis obiectat et imputat. At Iuppiter tellus circuit et fontes et flumina restituit, terrae gramina dat et laesas silvas revirescere iubet.

[texto adaptado de Ovidio, Metamorfosis II, 1- 416]